

De *Poria aurea* Peck, specie americana in montibus Carpaticis orientalibus lecta.

Auctore Dr. A. Pilát, Praha.

(Accedunt Tab. I et fig. 1.)

Anno 1932, mense Julio, in itinere meo quarto in montes Carpaticos orientales suscepto, speciem generis *Poria* maxime conspectam inveni. In silvis montanis prope Bradula-Německá Mokrá, districtus Tiačevo, Carpatorossiae (Čechoslovakia), in altitudine ca. 900 m s. m. ad truncum putridum Piceae excelsae ad terram iacentem in latere inferiori, humido, Poriam resupinatam, carnosam, laete aurantiacam observavi, quae odorem conspectum et suavem, ut fructi Pruni armeniacae maturi exhalavit.

Determinatio accurata mihi *Poriam auream* Peck, speciem adhuc solum ex localitatibus duobus in America boreali (in statu New York) notam significavit. Qua de causa hanc speciem adhuc male notam mycofloraeque Europeae novam in textu continuato accurate describo et duos icones arte photographica depictos adhibeo.

Poria aurea Peck, 33 d Rep't New York State Museum, pag. 21, 1890. — Overholts in New York State Museum Bulletin, No. 205—206, pag. 74—77, tab. 3, fig. 1—4, tab. 4, fig. 1—2, 1919.

Carposoma tanta annua, molliter succose carnosa, tubulis aurantiacis. — Carpophori resupinati, usque 20 cm diam, normaliter solum ca. 10 cm, in statu vivo ad substrata laevia subseparabiles (per partes), in statu exsiccato adiacentes, iuventute crustam arachnoidam, aureo-luteam vel aurantiacam, tenuissimam irregularemque et in illa tubulos conformantes. Margo angustissimus, floccosus. Trama tenuissima vel in carposomatibus adultis fere obsoleta. — Tubuli moliter succoseque carnosí, aurantiaci, 2—5 mm longi. — Pori laete aurantiaci, senescentes subbrunnei usque sordide brunnei, 0,13—0,3—(0,5) mm diam., angulato-rotundati, fauce minutissime denticulati vel laeves, aurantiaci, in fungo exsiccato sordide aurantiaci, luteo-brunnei usque seniles sordide tabacini. — Dissepimenta tenuissima, 30—40 μ crassa. — Basidia parum conspecta,

$10-12 \times 3-4 \mu$, juvenilia plasma subaurantiaca repleta. In hymenio basidia, hyphae steriles et praecipue magna in multitudine cystidia conspectissima, quae cystidia generis *Inocybe* in mentem revocant, adsunt. — Cystidia hyalina lageniformia, apice regulariter muri-cellata, iuventute tenuiter tunicata, adulta subcrasse tunicata, pricipue in angustata parte apicali, $20-25 \times 7-11 \mu$, $8-12 \mu$ prominentia. — Sporae ellipticae, basi oblique acutatae, hyalinae, laeves, tenuiter tunicatae, plasma granulosa repletae, saepe uniguttulatae, $4-5,5 \times 2-2,5 \mu$. — Hyphae tramales $2,5-4 \mu$ crassae, conspecte septatonodosae, hyalinae, tenuiter tunicatae, ramosae.




Fig. 1. *Poria aurea* Peck.
Cystidia et sporae magnificatae.
(Autor delin.)

Ad truncum *Piceae excelsae* putridum in silvis Carpatorum orientalium prope Německá Mokrá, districtus Tiačevo, Carpatorossia, Čechosloveniae, in altitudine ca. 900 m s. m. VII. 1932. Species in silvis montanis Carpaticis rarissime obvia; in tempore quatuor annorum solum in localitate citata eam inveni.

Fungus vivus odorem admirabilem intensivum specificumque, qui odorem fructorum Pruni armeniacae in mentem revocat, exhalat. In fungis exsiccatis hic odor parum conspectus est.

In trama dissepimentorum exemplarium exsiccatorum huc illuc excretiones sphaericas, aurantiocoloratas, $6-8 \mu$ diam. observavi. Colorem aurantiacum materiae alcalinae non mutant.

Mycelium huius fungi rarissimi putrefactionem intensivum lignorum infectorum efficit. Lignum putridum brunneocoloratum est, fragile evenit facileque dilabitur.

Poria aurea Peck species conspectissima est et quia ea adhuc in Europa non lecta erat, certe rarissime obvia. Etiam in America boreali perrara species. Adhuc solum exemplaria Peckiana nota sunt et id specimen originale ad ligna *Aceris saccharini* et specimina allia ad ligna coniferarum prope Sevey N. Y., Amer. foeder. lecta et item specimina ad ligna coniferarum a cel. G. F. Atkinson prope Ithaca N. Y. lecta, quae Peck determinuit.

Overholts, qui specimina originalia specierum cel. Peck novarum in collectionibus N. Y. State Museum deposita studebat, diagnoses accuratas harum et una analyses microscopicas elaboravit, iconibusque arte photographica depictis modo macroscopico microscopicoque illustravit et resultata laboris sui in tractatu „The species of *Poria* described by Peck“, in New York State Museum Bulletin No. 205—206, 1919, iuri publici fecit.

Overholts, qui in museis americanis centurias multas Poriarum exsiccatarum diversarum in manu habuit, nusquam alibi *Poria aurea* Peck invenerat, quid optimum documentum est, hanc speciem etiam in America boreali rarissime pervenisse.

Specimina mea carpatica cum descriptione iconisque Overholtsianis optime concordant et certe cum *Poria aurea* Peck identica sunt. Colorem fungi vivi ut „viride-luteum“ Peck describit. Specimina mea optime evoluta colore laete aurantiaco conspecta sunt, sed exsiccatione cito decolorantur et dein colorem sordide aurantiacum, luteum vel sordide brunneum ostendunt. Quoque specimina senilia in natura lecta, colorem sordidum vel subbrunneum habent. *Poria aurea* Peck modo microscopico ab omnibus speciebus generis *Poria* modo eximio distincta est, nam cystidia habet conspecta, lageniformia, apice muricellata, quae cystidia multarum specierum generis *Inocybe* in mentem revocant. Colore habituque externo solum *Poria aurantiaca* Rostk., ex multitudine specierum europaearum, similis est, sed cystidiis absentibus longe distat.

Tafelerklärung.

Poria aurea Peck.

1. Pars speciminis bene evoluti, quod in montibus Carpaticis orientalibus ad truncum Piceae excelsae putridum lectum est. Specimen exsiccatum in magnitudine originali.
2. Pori magnificati. Specimen exsiccatum.

Photo autor.




Abb. 1.




Abb. 2.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1933

Band/Volume: [73_1933](#)

Autor(en)/Author(s): Pilat Albert

Artikel/Article: [De Poria aurea Peck, specie americana in montibus
Carpaticis orientalibus lecta 31-33](#)